

decanatui, canonicatibus et prebendis predictis et ecclesie predictae emunitati appropriamus eadem auctoritate et presentibus assignamus, etiam, si dicta bona vel eorum aliqua a nobis seu ecclesia nostra in feudum descenderent, illa de eodem consensu ad usus ipsius ecclesie presentibus libertamus, jure nostro episcopali in procuracionibus recipiendis et aliis quibuscunque, nostram jurisdictionem concernentibus, nobis et nostris successoribus in omnibus semper salvis; jus patronatus quoque sepe-nominatis armigeris, ut pretactum est, etiam presentibus reservamus, proviso tamen, quod ipsi vel quisquam eorum ipsum jus patronatus vendendi vel in alios transferendi nullam penitus habebunt potestatem.

Ceterum ut predicta collegiata ecclesia in Mandeslo sollerti ac immediato pastore et provido gubernatore se commissam letetur, volumus et eadem auctoritate nostra ordinaria statuimus, quod prelibata collegiata ecclesia ejusque canonici et persone per decanum pro tempore regantur et gubernentur, qui ad dictum decanatum, si ab eo cesserit vel decesserit, per ipsos canonicos in eorum et ipsius ecclesie decanum eligetur, cujus confirmatio ad nos et nostros successores jugiter pertinebit.

Nos quidem pro primordio hujus institutionis honorabilem virum, dominum Henricum Notberch, presbiterum nostre Mindensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum ac in spiritualibus et temporalibus plurimum circumspectum, in eadem ecclesia in canonicum prebendatum instituimus ipsumque eidem ecclesie ac ejus canonicis et personis preficimus in decanum et pastorem, regimen et administrationem dicti decanatus nec non curam animarum ejusdem ecclesie memorato Hinrico decano et suis successoribus presentibus committentes.

In quorum omnium et singulorum robur perpetuum et evidens testimonium sigillum nostrum majus una cum supra nominatorum capituli Mindensis ac prepositi sancti